[illegible] Stanislai: Quaestio de purgatione canonica.

2341 Prawo.

# QVÆSTIO
# DE PVRGATIONE
## CANONICA.

*Quam*

Præsidente Clarissimo Domino,

## D. ANDREA PETRICOVIO,

I. V. DOCTORE, ET PROFESSORE Ordinario, Eq. Aurat. Cons. Crac.

*Pro ingressu ad primam Lauream in V. I. ad disputandum proponet*

M. STANISLAVS CZAPLIC,
Senior Contubernij Iuristarum.

*In Collegio DD. Iurisconsultorum, Die 26. Maij. Hora 7. Anno 1637.*

---

CRACOVIÆ,
*Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij.*



*Crux infernales replet formidine turmas,*
*Hæc terrent hostes Stemmata iuncta cruci.*

Illustrissimo Domino,

# D. STANISLAO

á Koniecpole,

# KONIECPOLSKI.

## Castellano Cracouiensi. Supremo

Exercituum Regni Poloniæ Duci, Buscen. Baren. Koulen. Pereaslauien. Ploskirouien. &c.

## CAPITANEO.



Domino & Benefactori Colendissimo.

*LEgum & armorum parem in Republica necessitatem Plato diuinus existimauit, Illustrissime Domine, quod istorum firmitate vtrumque belli & pacis tempus rectè & feliciter transigatur. Idcircò V. Illustriss: Celsit. quæ rectè legibus in pace sanciendis vt prudens Senator, & rei bellicæ gloriosè tractandæ vt fortis Imperator præest, hanc de Purgatione Canonica disceptationem statui consecrare. Scio quantum meæ permisisset fidei, cùm vnicum suum Illustrem Dominum Alexan-*

 *drum*

*drum ſpem inclytæ Familiæ crediderat educandum. Quod officium ab Illuſtriſſ: Celſitud. V. mihi impoſitum, ita connitebar ſuſtinere, vt profectus eius in moribus & literis pro imbecilla ætate abundè noſceretur. Cùm verò meæ vitæ & inſtituti rationes illum Principem iuuentutis Polonæ ſequi non permiſiſſent, ad Academiam rediens, gratiæ & liberalitatis mihi abundè præſtitæ, ab Illuſtriſſ: Celſit. V. obliuiſci nec poſſum nec debeo; Sed me Illuſtriſſ: Celſ. V. atq; Illuſtr: Domino Alexandro vel hoc publico teſtimonio obnoxium recognoſco. Non feret grauatim ampliſſimum nomen ſuum, tanquam titulum inſignem huic meæ præfigi concertationi iuridicæ, quam ſimilium inter Muſas aliquando occupationum, iucunda vſq; adhuc delectat memoria. Quamobrem cùm Heroicas virtutes Celſit. V. vel hoc exiguo veneror opuſculo, accipiat obnixè rogo Illuſtr: Celſ. V. & me veteri illa foueat benignitate, etiam in hoc loco Academico, in quo me Deus & induſtria quantacunq; collocauit, Suæ Familiæ Ampliſſimæ perpetuum obſidem agnoſcat. Deum Opt: veneror pro diuturna Celſ. V. incolumitate, vnde Eccleſia & Reſpub. habeat inclytum præſidium. Crac. 16 Maij-*

Illuſtriſſ: Celſitud. V.

deuotiſsimus Cliens,

*M. Stanislaus Czáplic, Contub. Iuriſp. Senior.*

# QVÆSTIO

Ad c. Extuarum *Extr. de Purg. Can.* Iuncta Auth. Nouo iure. C. *de Pœna Iud. qui malè iud.*

VNon obſtante vulgari Purgatione, per Monomachiam, ferrum candens, aquam frigidam aut bullientem factâ; laborans publicâ infamiâ, in defectu Accuſatoris, vel probationum, poſſit ac debeat compelli auctoritate iudicis ad purgationem Canonicam; ita vt ſi in ea deficiat inculpatus, perinde ſit puniendus, ac ſi de crimine conuictus, aut iudicialiter confeſſus fuiſſet, necne?

## CONCLVSIO I.

Purgatio vulgaris, etsi quandoque occulta aliorum crimina, aut innocentiam manifestauerit: meritò tamen Sacrorum auctoritate Canonum, velut periculosa, & superstitioni obnoxia, sublata est omnino ac prohibita.

## *COROLLARIA.*

1. *Poculum execrationis, quo Moyses ad inuestigandum adulterium in veteri Testamento vti preceperat, aut quidquam illi simile, non est in nouo vllatenus permissum.*
2. *Aqua tam frigida quàm feruens, nullam ex se vim habet, ad detegendum crimen, vel probandam innocentiam alicuius: damnandaq́ est consuetudo explorantium maleficas si innatent aut immergantur aquis, certo modo ligatæ.*
3. *Vt ignis aut ferrum candens, ad probandam innocentiam vsurpari non debet: ita neq́ iuramentum super bombardam instructam atque oneratam, quod apud nos plerique perperam faciunt.*

4. *Qui obiectum sibi crimen, Monomachiâ, siue per se, siue per campionem oblata vult expurgare, non est audiendus: nec Statutum, aut consuetudo in contrarium obtinere potest.*

5. *Potest tamen Princeps in casu extraordinario v.g. vt belli iusti compendium faciat, duellum, vel paucorum conflictum permittere; non item ad ostentandum robur militum, aut oblectandi se gratia.*

## CONCLVSIO II.

Quamuìs diffamatus purgauerit se quocunque ex dictis modo: per hoc tamen non absoluendus, sed compellendus est ad Canonicam Purgationem, etiamsi accusator defuerit, aut in probationibus defecerit.

## *COROLLARIA.*

1. *Ad hoc vt indicatur purgatio canonica, necesse est precedere diffamationem apud honestos & probos, ex verisimilibus signis aut coniecturis non ab inimicis ortam.*

2. *Vbi notoriè constat de crimine & delinquente, aut probationes sunt plenæ, nõ est locus purgationi canonicæ; ridiculaq; est consuetudo quorundam, apud quos si rem furto ablatam manu quis teneat, & offerat purgationem, etiamsi testes ad probandum sint parati, euadat nihilominus iuramento.*

3. *Propter solam delinquendi voluntatem, non est indicenda purgatio canonica: nisi hæc voluntas transierit in aliquem actum externum.*

4. *Non solùm principali diffamato indicenda est purgatio, sed etiam consentienti & complici.*

5. *Quando contra inculpatum extant aliqua indicia, vel testis omni exceptione maior, non est illi deferenda purgatio, vt voluit Iason: sed quærendum aliquid in supplementum probationis aut aliter indaganda veritas.*

## CONCLVSIO III.

Qui se canonicè purgauit de aliquo crimine, non potest ex ijsdem indicijs aut infamiâ iterum accusari; siue purgatio indicta fuerit præcedente accusatione, siue non.

CORO-

# COROLLARIA.

1. Etiamsi nullus Accusator extiterit, potest Iudex indicere alicui purgationem canonicam: dummodo diffamatus sit aut immineat scandalum.

2. Quoties noua exoritur diffamatio, aut indicia contra aliquem de nouo prodeunt, potest non obstante Canonicâ purgatione priori, de eodem crimine iterum inquisitio vel accusatio institui.

3. Contra absolutum sub conditione, vel ab instantia iudicij, potest admitti accusator: qui si in probatione defecerit, potest Canonica purgatio decerni.

4. An Canonica purgatio solùm in delictis & criminibus, an verò etiam in causis ciuilibus locum habeat? Problema esto.

5. Ius Ciuile in quibusdam criminibus magis rigidè obseruat purgationem per iuramentum, quàm Ius Canonicum.

## CONCLVSIO IV.

Deficienti in purgatione infamato, debet Iudex infligere pænam crimini debitam, perinde ac si conuictus vel iudicialiter confessus esset: inspecto tamen modo procedendi, num per accusationem, vel inquisitionem crimen sit in iudicium deductum.

## COROLLARIA.

1. *Tam is qui non vult acceptare iuramentum purgationis, quàm ille qui non potest præstare (fortè ob defectum compurgatorum) deficit in purgatione canonica.*
2. *Mitiùs tamen puniendus qui est contumax in suscipienda, quàm ille qui deficit in præstanda.*
3. *Compurgatorum conditio & numerus, ex qualitate infamati & criminis æstimari debet: omnes tamen debent esse probi, honesti, & fide digni, qui vitam & conuersationem infamati norint.*

4. Po-

4. *Poteſt interdum quis ſeipſum purgare ſine aliquibus ſui ordinis, ſi omnes alij ſunt inimici eiuſdem ordinis.*

5. *Diffamatus iurare debet de veritate, quòd non commiſerit crimen obiectum: compurgatores de credulitate, quòd probabiliter credant illum rectè iurâſſe.*



Sub felici auſpicio
Adm: Reuerendi & Magnifici Domini,
D. DANIELIS SIGONII, S. T. D. &
Profeſſ. Canonici Crac. Almæ Vniuerſitatis Academiæ Crac. Rectoris
vigilantiſſimi.

&

~~Czaplic Stanislai~~

~~Quaestio de purgatione canonica~~